



CUm Ingeuon atq; frater eius breui tempore Germaniam gubernassent, atq; sine liberis essent mortui, eis Hermiō, qui & Hermānus dicitur, minimus natu inter Māni filios, atq; Tuifconis nepos magnā Germaniam Anno mūdi 2068. & post diluuium quadringentesimo undecimo regēdam suscepit, atq; magno animo per annos sexaginta tres gubernauit, eo nimirum tempore cum Abraham et Isaac in terra Chanaan uitam degerent, atq; Aralius in Assyria regnaret. Erat autē Hermannus bellicosus princeps, atq; rei militaris peritissimus, unde etiam nomen suum sortitus est, ut Hermannus, id est, exercitus uir diceretur, Is enim fuit qui

apud Germanos disciplinam militarem primus instituit, atq; leges pugnandi utilissimas sanxit. Nam quotannis aliquot millia hominū in proximas quasq; regiones ducebant, ut eas pugnando subiugarēt. reliqui uerō qui domi manserant, se atq; illos interim alebant. Sequenti uerō anno, illi qui prius in armis erant, domum reuertebantur, & laborabant, alij uerō qui domum custodiebant, foras exibant ad praelia continuanda. Quoniam uerō instrumenta musica animos pugnantium incitarent, etiam tympanum, fistulas, tubas, et taratā-tara excogitauit, & ad exercitus adduxit. Sed cum uinū homines ad laborem molles efficiat, uinum in Germania colere, aut extrinsecus adferri uetuit. Dū autem Hermannus in Germania rerum potiretur, Osyris cum sore Iside in Aegypto regnauit, atq; in Germaniam tandem ueniens, ipsos ueram agriculturam, atq; ceruisiæ ex hordeo decoctionem docuit. Cum hac ratione rebus per Germaniam annos 63 præfuisset, tandem anno post diluuium 474 mortuus est. Verū post mortem ob uirtutes uarias, insignem belli peritiam, & ingentia benemerita à suis subditis in cœlum uana superstitione sublatus, atq; pro deo & belli præside cultus fuit. Hinc etiam eius simulachrū passim in templis collocabant, atq; diuinis honoribus afficiebant. Erat uerō simulachrum eius armati hominis toto corpore effigies, in cuius dextra signum militare, in sinistra libra, & in clypeo leo extabat. Tale templum Hermanni apud Saxones olim uetusta religione erat augustissimum, quod frequens populus uotireus ad tempora Caroli magni usq; proficiscebatur. Signum & idolum eius uocabatur Hermanni statua, aut Hermanfaul. Cum autem Carolus castellum Heresburg in mōte Martis cepisset, templum cum idolo subuertit. In eo templo inuenit ingentem auri & argenti copiam, quam uota reddentium grata uoluntas congefferat: eam ipse abstulit, & militibus distribuit. delubrum uerō incendit, & solo æquauit, adeo ut ne uestigium eius amplius appareret. id quod factum est anno post Christum natum septingentesimo septuagesimo secundo. Berof.